

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Sed sufficiat tibi gratia Domini, cujus virtus in infirmitate perficitur. Ego per gratiam DEI mediocri utor valetudine, nec per negocia vacat nunc ægrotari. Quapropter in aliud tempus hæc molestia mihi rejicienda. Nunc neque pace firmata, neque induciis factis cum Papistis & Zwinglianis, cum furioso genere hominum, Flaccianis, congregior. Dicit enim non potest, quam me oderint, & quam acerbè mihi irascantur. Nec puto, me ab ullis hominibus tam atroci injuria affectum & tam atrocibus calumniis petitem, quam id factum est à Flaccianis. Verum his oneribus animum meum non frangent. Sed contra audentior ibo & ita tractabo illos, ut omnes intelligant, homines esse improbissimos & pestilentissimos. Tu pro me orabis. Ego pro te vicissim. Scripsit his diebus ad me Dux Julius, negotium Concordiæ in inferiori Saxonia jamjam confectum, quod cum descriptum fuerit, curaturum se, ut ad me proprio nuncio perferatur. Id cum accepero, & tu habebis. Quod hæctenus me impedivit, quo minus illis nebulonibus responderem. Malo enim has injurias devorare, quam semel ceptam negotium Concordiæ perturbari mea apologia. Ipsum enim opus, non oratio me excusabit. Bene & feliciter vale, & metuum tuorumque esse scias. Iterum vale. Raptim Tubingæ, 20. Octobris, 1575.

Tuam honestissimam & D. Licentiatum mea costa diligenter salutare jussit.

Tuisss. ex animo Totus

Jacobus Andreæ.



CCI.

SHI viri præsentium latores, ex Pedæmontio oriundi, stipem flagitant, cujus causa Geneva, Bernæ, Tiguri, Scaphusiæ, & apud nos collegerunt, ut captivum, religionis nomine, redimere possint: & quia etiam vestram civitatem adire constituerunt, per me cupiverunt commendari tibi, & quia te scio ultro facturum officium, non agam hoc pluribus, scripturus de aliis paulò post. Bene vale in Christo Jesu. Basileæ, 7. Decemb. 1575.

Tuus

Sulzerus.

CCII.

Salutem in Christo.

Literas tuas, Clarissime D. Licentiate, amicorum charissime, accepi, quæ mihi propter personam tuam gratæ, sed propter narrationem historiarum minus gratæ fu-